

Fallor! num crepuit limen; et, o decens
 Virgo Conjuge cum tuo
 Expectata venis? Qualis in aequore
 Quondam nata recens Venus,
 Dum secura Notis unda quiesceret,
 Dilectam attigerat Cyprum,
 Quam pulchrae Charites cum puero alite
 Circum ludere gestiunt.
 At nunc et fidium dulces sonantium,
 Et mixto citharae sono
 O Hymen! tenerae dicite virgines!
 O Hymen! juvenum chorus
 Alterno in numerum dicite carmine:
 Quantis Graecia Pelei
 Felix connubium cantibus extulit,
 Cantu, quo Ionium mare,
 Et pulsatus Eryx insonuit procul,
 Rupesque Acroceraunia.
 O Hymen! pueri dicite fervidi!
 Salve! o magnanimum genus
 IOSEPHE! Ah teneros Virginis aureae
 Amplexus facilis cape,
 Atque idem gemino nomine dici ames
 Princeps, et placidus pater.
 Sic quondam patrii clarus honoribus
 Perges sideribus caput
 Celsum tollere. Sic regna prioribus
 Nascens, occiduusque sol
 Adjecta, et domitas aspiciat maris
 Euxini furias, quod, heu!
 Iam nunc terrificis ad tua nomina
 Vatum carminibus tremit.
 O Hymen! tenerae dicite virgines!
 O felix ter, et amplius
 Virgo! cui pietas, cui comes addita
 Virtus, et patrium genus,
 Et vultus teneris aptus amoribus
 Quando unam invenient parem?
 At neu, dulce decus! neu tibi patrium
 Plus justo placeat solum, et
 Quae desideriiis tacta fidelibus
 Tellus Bavara lacrimans
 Absentem queritur! Nos quoque floribus
 Pictos purpureis agros,
 Et colles humiles, atque habitata Diis